



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

2. De iustitia generali, seu legali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

antecefferat, per iustitiam ad æqualitatem redigendum, compensando tibi defectum ex meo commodo.

- 3 NB. Ius improprie varie accipitur. 1. Pro facultate aliquid legitimè agendi, V. C. ius habere sepulchri, ius habere ad hæreditatem. 2. Pro Iudicis sententia & pro Lege seu scientia legis. Vlpian. Ius est ars boni & mali.

C A P. II.

De Iustitia generali seu Legali.

- 1 Iustitia generalis versatur circa omnia virtutum opera ob Reipub. felicitatem, inde orta, quod homo in humana societate viuens, comparatur vel ^{partis} ad partem, vel ^{ciuis} ad ciuem, vel tanquam pars ad totum, ^{ciuis} ad Communitatem.

Iustitia generalis sic dicta, quia omnes virtutes morales in se comprehendit, non quidem vniuersalitate prædicationis, (vt animal continet species animalium) sed vniuersalitate causæ, (qua ratione se habet sol ad alia corpora, quæ ipsius virtute illuminantur, generantur, & conseruantur) quatenus reliquis virtutibus ipsa imperans, illarum actiones ad Reipub. prosperitatem refert.

Iustitia hæc generalis appellatur etiam Legalis quia versatur circa Legem, seu iustum legitimum. Etenim in Reipubl. legibus benè constituta, omnia omnium virtutum officia præcipiuntur. Et in hac significatione nomen Iuris accepit Iureconsultus in L. Iustitia, ff. de Iust. & Iure. Iuris præcepta sunt; honestè viuere, alterum non lædere, suum cuique tribuere. Nam Resp. triplici iure nititur; naturali æquitate, scripta lege, & Consuetudine vetusta.

Opera

Opera Virtutum, quatenus per ea diuinæ legi ac voluntati conformamur, iustitia in sacris literis vocantur. Matt. 5. *Beati, qui esuriunt iustitiam.* Et cap. 6. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

NB. Iustitiam legalem se dupliciter habere. Nam in Principe siue Magistratu leges decernente ob Reip. commodum, inest quasi architectonicè: In subditis verò acceptantibus & obseruantibus leges ob eiusdem Reipubl. commodum, inest ministerialiter, velut executioni mandantibus, quæ per Magistratum decreta sunt.

C A P. III.

De Iustitia particulari.

Particularis Iustitia definitur ab Vlpiano, quod i sit constans & perpetua voluntas ius suum (debitum ad æqualitatem) cuique tribuendi. Eius proprietates sunt; Ut sit ad alterum; Ut versetur circa debitum; Ut reddat ad æqualitatem.

Inter patrem & filium, utpote non omnino diuersum à patre; Inter seruum & dominum, omnia Domino acipientem, veluti eius possessionem & instrumentum; Inter vxorem & maritum, utpote vnum corpus & carnem; non est simpliciter dicta iustitia sed solum improprie dicta, paterna, herilis, & Oeconomica. Ratio, nam Iustitia particularis tendit ad alterum, & iustum particulare versatur inter partes, quæ exæquari possunt; atqui dictæ partes non inveniuntur in dictis personis. Ergo.

NB. Licet Iustum paternum, V. C. recedat à proprietate iusti, quoad æqualitatem inter diuersas personas statuendam, non tamen quoad rationem

nem